

Dissertatio Inauguralis Juridica, De Ubertatis, Cum Sterilitate, In Contractu Locaticonducti, Compensatione

Buetzovii: Typis Johannis Gotthelfi Fritzii, [1763]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn887740596>

Druck Freier  Zugang




Universität Bützow

Jur. Fak. 1763

Mantzel / Darjes

Bützow 089





DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA,
DE
**UBERTATIS, CUM STERILITATE, IN CONTRACTU LOCATI-
CONDUCTI, COMPENSATIONE:**

QVAM,
DEO CLEMENTER FUVANTE,
INDULTU AMPLISSIMI ICTORUM ORDINIS,
IN ACADEMIA MECKLENBURGICA
FRIEDERICIANA BUETZOVIENSI,
PRAESIDE,
DN. ERN. JO. FRIED. Mantzeln,

SEREN. DUC. REGN.

CONSIL. ET IVRIS PROFESSORE ORD. FACULT. SUÆ SENIORE
ET H. DECANO,

STUDIORUM SUORUM PROMOTORE ATQVE
HOSPITE HONORATISSIMO,

PRO LICENTIA,
SUMMOS IN UTROQUE JURE GRADUS,
OBTINENDI,

ANNO MDCCLXIII, d. Sept.

IN CATHEDRALI TEMPLO,

PLACIDÆ SUBMITTET DISQUISITIONI,


ULR. JO. FRIED. DARJES,

WAHRENA - MECKL.

BUETZOVII

TYPIS JOHANNIS GOTTHELFI FRITZII, SEREN. PRINC. AUL. ET
ACADEM. TYPOGR.

1763



Q. D. B. V.

P R A E F A T I O.



Pacem, inter festivitates, cum bello comparatam, largiter, ex orationibus, solemniter dictis, accepimus. Movit hæc occasio, mentem, sigillatim etiam devotam, ut, scripturus dissertationem inauguralem, de tempore eandem conciperem. Comparanti sterilitatem, anni

a 2

præ-

præteriti, cujus causæ & bellum & defectus, inter solis æstum, quem GOTHOFER, ad l. 8. C. de loc. & cond. uredinem & solis fervorem non adfvetum vocat, pluviae erant, cum ubertate, quam, per arva meanti, præbuit ocularis inspectio, gaudium perfudit animum, mihi, ut homini. Inciderunt simul juridicæ meditationes, ad rubrum, & constitui, desuper in cathedram ferre sequentia extemporanea.

Deus T. O. M. annuat opellæ detque pacem, non solum, in diebus nostris, nisi forte sensus hymni, si ita est, aliquando inter tempestatis bellicas, compositi, eo redit, daß die singenden möchten die Freude haben, den güldenen Frieden noch zu erleben; sed & in diebus posteriorum, ad finem usque sæculorum, quæ, Deo volente, sequentur & supererunt; secus emergeret illud Hiskianum, Jes. XXXIX. 8. Es sey nur Friede und Treue, weil ich lebe. Satis! repeto votum: Det pacem Dominus, & in diebus nostris & in diebus illorum, qui sunt in versiculo:

Nati natorum & qui nascentur ab illis.

Pergo, cum voto extenso atque declaratorio: Daß niemahls, in Mecklenburg, ein neues Friedens-Fest möge gefeyret werden. Pax nova enim supponit novum præcedens bellum diffidiasque novas.

Historia patria porrigit retro recensum, non sine stupore legendum. B. FRANCKII periodi, des alten
und

und neuen Mecklenburgs, quod operosissimum opus expectat Annotationes, a saeculi, decimi septimi praesertim initio facti, terrent Lectores, quoniam sequuntur ita: Lib. XII, von Mecklenburgs Beschwerden. Lib. XIII, von Mecklenburgs Verwüstung, durch Feinde und Freunde. Lib. XIV, von Mecklenburgs Irrungen, unter Häuptern und Gliedern. Lib. XV, von Mecklenburgs Rechts-Gängen. Lib. XVII, post breve intervallum, Libri XVI, sub rubro: von Mecklenburgs Vergleich und, proh! daraus entstandenen Irrungen: von Mecklenburgs Zerrüttung, in allen Ständen. Sequitur quidem Liber XVIII, von Mecklenburgs Herstellung, sed cum addito: in etlichen Stücken. Tandem absolvit Liber XIX, sub inscriptione: Mecklenburgs Beruhigung. SOLI DEO GLORIA! Faciamus nostros, qua verba, non qua experientiam contrariam, ingressus instrumentorum Pacis nonnullorum, e. gr. OSNABR. Art. 1. Es sey ein christlicher, allgemeiner und ewiger Friede. FAXIT JEHOVA!

Videatur, inter ecclesiastica nostra, series festorum, post superatas calamitates, ex supremis, SERENISSIMORUM PATRIAE PATRUM devotisque Ordinationibus, celebratorum. Legantur, p. t. die Büchowschen Ruhestunden, P. I. n. 6. Meckl. Freude, über den Olivischen Frieden. P. IV. n. 7. Meckl. Andacht, in Betref, des Westphäl. Friedens. P. VI. n. 11. Meckl. Attention, auf den Nimwegischen Frieden. Generaliores

ejusmodi solemnitates jubilæas, exhibent annales,
1655. 1730. 1755. Nonnullas illarum præbet Dn. PRÆ-
SIDIS Progr. Pentecostale, anni 1755, de *Unanimitate*
Theologica.

Tertium! exclamo: *Det pacem Dominus!* Pium
enim est illud: *Pacem te poscimus*, (alii scribunt: *depo-*
scimus) *omnes*.


Deleatur verficulus, vel desinat esse verus:
Pax est nonnunquam: Pacis fiducia nunquam.
Sed, ad brevem, indictam dissertationem pergo.





TRACTATIO.

§. I.



Confusa mihi videntur & juris analogiæ contraria, quæ, ad quæstionem, quatenus ubertas & sterilitas inter se compensentur, allegando textus, *l. 15. §. 4. ff. Loc. Cond. & l. 8. C. eod.* scribunt Doctores, in Commentariis, systematibus, dissertationibus & responsis. Prodeat Imperator, cum suis textibus, quo videamus, quid emergat. Tria veniunt rimanda, *a)* Interpretatio, *b)* Refutatio, si non præctica, hæctenus, quia jus peregrinum in subsidium, invita passim Minerva, receptum, theoretica tamen & deliberatoria, quæ jus constituendam; *c)* Derogationes, in Germania, hinc & patria nostra, & *d)* allegatio, si qui sunt, nobis consentientium.

§. II.

§. II.

Quod ad primum, clare loquitur *Papinianus*, maximus inter sui ævi magnos, Jurisconsultus, qui, ob non approbatum Caracallæ parricidium, in fratrem Getam, misero periit fato. Juris asyllum & doctrinæ legalis thesaurus appellatus, *Papinianus*, inquam, qui semper, suo voto fecit pluralitatem. *vid. PANZIROLUS Lib. I. Cap. 55. de claris LL. Interpretibus. item MARCUS MANTUA in Epit. Viror. Ill. n. 19. Æmilius Papinianus*, cui moriens Imp. Severus commendavit suos filios: quem ipse *Justinianus*, in *præf. Digestorum* valde extollit, quem varii textus discrete laudant, a quo *Papinianistæ* nominari gaudebant. *Vid. largissime Catellianus COTTA, in Tr. de Jurisperitis, inserto oper. Panziroliano, a p. 511. Papinianus* hicce, cujus autoritas neutiquam terret, quia ab oeconomia nullibi laudatur, & qui ut *Homerus* etiam quandoque dormitavit, excerptus in textu pandectali, quem B. Lectori, cui forte Corpus Juris non est statim ad manus, integrum sistimus, ita differuit, in Libro quarto *Responsorum*, juxta insertum *l. 4. ff. Loc. Cond. ss. ut incipiunt: Si uno anno remissionem quis colonò dederit, ob sterilitatem, deinde sequentibus annis contigit UBERITAS, nihil obesse domino remissionem, sed integram pensionem, etiam ejus anni, quo remisit, exigendam. Quid tamen, si novissimus annus erat sterilis, in quo ei remisit? (ergo datur positivus veri) dicetur, etsi superiores uberiores fuerunt, & scit locator, non debere eum ad computationem vocari. GOTHOFREDUS dimisit textum, sine relevantibus notis. Accursiana Glossa, hoc loco indigna fere est legi; titubat enim Glossator & ridendam inspergit opinionem malefanam, ad quæstionem: Quando sterilitas dicatur? In responsione: Dicunt quidam, quando semen inde non est perceptum. Nostrates ajunt rustici: ick hebbe de Saat nich wedder buwet. Pudeat, illos
 Qvi-*



Quidamistas, nullius etiam agelli cultores, ita, ut nec Virgilianum illud:

Laudato ingentia rura!

Exiguum colito!

intellexerint. Ex ungvibus ejusmodi noscuntur, in rebus oeconomicis, maxime ruralibus, jurisperiti, marmoreorum tantum & amphitheatrorum spectatores atque hospites.

§. III.

Textus Codicis, l. 8. de loc. cond. qui est rescriptum Imp. datum A. Higinio, paulo laxior videtur. Audiatur tonus: *Licet, certis annuis quantitibus, fundum conduxeris - - - & quae evenerunt sterilitates, ubertate aliorum annorum repensatae non probabuntur, rationem tui, juxta bonam fidem, recte postulabis.* Conductor Higinus accepit rescriptum cum clausula, contrasentientibus proficua. Sit ita! distinctionem, inter annos *distributive & collective* sumtos, nullibi in textibus palpamus. Higinus soll, wenn keine fette Jahre eingetreten, mit Grunde, des Schadens, der aus der Bitterung entstanden, falls keine andere Paeta getroffen, Erstattung suchen. Limitatio, a patto, memorabilia habet verba, a nonnullis, ante glossam, o-mitti solita, *ut mos regionis postulabat.* GOTHOFER. multa, sed communia commentatur. Accursius recoqvit mentionem, eorum, qui, infruite, *vid. §. 2.* putant, sterilitatem esse eam conditionem, quando nec semen recolitur. Leges, quibus, ita sentientes, frustra per arg. utuntur allegat. Qua textus vocabulum: *lue*, disputatur, anne legendum sit *labe*? Notabilis est, rationem dubitandi praebens, glossa, locationem contractum, continentem aleam, moribus regionum pingens, verbis: *vel erat dubitatio, in eo, quia, cum certa erat merces, sicut non crescebat, licet multos haberet fructus; sic nec diminui videbatur, licet paucos vel nullos colligeret.* Sane, si hoc
b prin-



principium regnaret, absurditatem eidem quis allineret? contrahentes viderent, quid agerent & idem in effectu foret, quod in casu, si conductor, ut sæpe fit, casus fortuitos in se receperit; modo tollatur, eo ipso, vexans distinctio, inter casus insolitos & insolitissimos, una cum variis limitationibus, pariter vexantibus, retorta tantum illa, si nempe locatoris culpa præcesserit casum. Imperator Alexander igitur sapienter usus fuit limitatione, de more regionis, quam ego originali inuisse credo. Supponit enim rescriptum, per verba finalia, processum in appellatorio. Interim rescriptum fuit ex regula, qualem nos in Germania tenemus. Adde, extensionem, a fructibus ad incursiones hostium, pestem &c. nequivisse facile fieri, nisi medius in eo ponatur terminus, quod locator debeat præstare liberum rei usum.

§. IV.

Fit tota causa specimen jurisprudentiæ, ante sanas leges, & ante honestas conventiones, problematicæ; & Jcti, Papinianus aliique poterunt excusari, pro ratione principiorum, quæ sibi posuerunt. Nos, uti jam dictum, de statu regulæ Germanorum differimus & recte nos sentire putamus, quod in eo non inveniatur locum compensatio. Spinosa possunt, per disputacitatem, fieri omnia & spinis, qui immittit manus, vix invulneratas retrahit illas. Cathedra est libera, modo sobrie sentiamus, cum addita clausula: Salvis aliorum, rectius sentientium, judiciis. *Vid. J. S. STRYKIUS, de Libertate sentiendi, non libera, Hal. 1702. KRESS. de æquitate, cap. spec. 6. de æquitate entusiastica. Helmst. 1731.*

§. V.

Multa sane requiruntur, ad Legum dationem earumdemque ad casus applicationem. Jurisprudentia est quasi centrum,



trum, omnium scientiarum, etiam studii oeconomici, tam publici, quam privati. *Vid.* PLATHNER, *de Jcto oeconomio*, Dn. POLAC, *Mathesis forensis*, LEYSERI *illustre jus Georgicum* & multi alii, tempore nostro, in hoc studio florentissimo. Jus Romanum, incaute receptum, passimque omni sale, sulphure & Mercurio destitutum, nequit regere Germaniam. Est illud præterea farrago, circa cujus collectionem multa sunt commissa, pro ratione sæculi, in barbariem declinantis, vitia. Obstiterunt sectarum studia antiquiora, haud a compilatoribus attentata: Justiniani, vel modica eruditio, vel nulla, *vid.* B. de LUDEWIG, *vita Justiniani atque Theodoræ A. A. nec non Tribon. Hal. 1731.* Triboniani, testibus ejus emblematicis, ut ut concessis, arrogantia, Virorum delectorum, ut ut XVII, conditio & festinans excerpti modus. Testis vitiorum est Codex prior, ceu festinantium coecus catulus, deinde occisus. Tribus, multa obstiterunt accurationi. Et illud chaos transit ad nos, cum altero Jure Romano, Pontificio nempe. Meretur omnino legi *Illusterrimus Codex FRIDERICIANUS*, etiam qua præfationem, a §. 14. maxime autem, §. 15. v. Der Augenschein giebt, daß die Compileres des so genannten Corporis Juris, 1) kein Systema formiret, 2) keine General-Principia voraus gesetzt, noch 3) die daraus folgende Conclusiones, in ihrer natürlichen Svite daraus deduciret; sondern 4) bloß kurze Auszüge, aus 2000. Büchern verfertiget, welche 5) nicht allein öfters abgebrochen, und verstümmelt extrahiret worden, sondern auch 6) sich zum Theil contraire sind. Sie haben ferner und 7) die Materien ohne alle Ordnung und Svite durcheinander geworfen, 8) die Bücher und Titul, dieses Corporis Juris, auf eine so confuse Art rangiret, daß ohnmöglich ist, sich eine vernünftige Idee, von einem General-Rechte daraus zu formiren; insonderheit, weil sie 9) die Titul, so bloß zum Proceß gehören, eingestickt, und die materias Juris dadurch unterbrochen haben. Legantur ulteriora, de vitiis ipsius operis. *Qui jungit in consulta receptioni ob-*



stantia, plura habet. *Vid. §. 23. a verbis: In dieser unglücklichen Situation stehet die Verfassung, der Justiz, noch bis auf den heutigen Tag. Conferatur ex rubro passus: Was auf den Deutschen Statum nicht applicable ist, ausgelassen. Item superior inscriptio: in der Vernunft und Landes-Verfassungen gegründetes Land-Recht.*

§. VI.

Ipse Glossator *Accursius Magnus*, salva possibilitate locorum, qui sunt privigni ejusdem, *Michaelis Cerveti*, minorum gentium viri, ceu patet ex variis locis, e. gr. *ad l. 5. C. in quib. caus. restit.* scribit: *Biberat Justinianus, quum hanc legem conderet, nec recordabatur de aliis legibus.* Qua climatis diversitatem, *vid. splendida disp. Halensis, Boehmero-Willebrandina. Conf. medica disp. Hal. Buechneriana, ex anno 1746. de differentiis naturarum respectu climatum. Conf. Dn. PRÆS. diff. de cauto moderni Fur. civ. studioso, hab. 1727.* Quod ad *JCtorum veterum ridiculam incitiam*, in *Oeconomicis*, ut mecum benevole communicavit, varia sunt, in gratiam a *Dn. PRÆSIDE* collecta, sub rubro: *De JCtis, in Cameralibus, & Oeconomicis errantibus.* Dictæ incitiæ crassissimum exemplum, quod fictum esse credimus, circumfertur, quia *JCtum Plagorensem*, qui alias *Juris Lumen* adpellatus, quod, quum audivisset, in villa sua scrofam undecim foetus tulisse; asinam vero unicum duntaxat edidisse pullum, suum villicum furti accusaverit, ratus, asininam foecunditatem non minorem, quam porcina esse debere. Repetita hæc sunt verba in *diff. Dn. PRÆSIDIS, hab. 1720. sub presidio Carmoniano, de scientiis, quæ Jurispr. studium adjuvant & exornant. §. 10. ubi Autores.* De agro, ob vetustatem non frugifero, cujus meminit *SCHOEPFER. in Syn. tit. loc. Cond. n. 52. dent amici Commentarum salvantem.* *Triumviri Notistæ, Klein, Kolshorn & Dressel, ad illa verba silent.*

§. VII.

§. VII.

Propius ad rhombum, nostræ quæstionis. Audiamus illustrem Commentatorem, BRUNNEM. ad textum dictum pandectalem, (ad l. C. differere duxit supervacaneum) substratum. Nr. 25. ubi igitur, ita infit: *Ex causa sterilitatis non potest peti remissio, nisi quis reperiaturs lesus, tota locatione finita, & sic, si uno anno sterilitas, ea cum ubertate sequentium annorum est compensanda; imo, si primo anno est factu remissio, ea tamen, ob sequentium annorum ubertatem est revocanda.* Stipatum se putat l. 8. C. de Loc. Cond. & addit chimericam rationem, ex distinctione: *quia locatio per plures annos facta.* Sequitur Doctorum cohors, quam claudit nullibi fundata distinctio, *Frantziana* & aliorum, inter pensionem *distributive*, pro singulis & *collective*, pro omnibus annis dictam. Succedunt, quæ non curamus & pergitur: *Quomodo autem ubertas multorum annorum computanda? Hoc opus, hic labor est.* Octo opiniones &c. Terret jam vitilitigatio, ex *Franc. de Clapperius* & opinio *Baldi* prælata, cum tristi schemate, plane displicet; nec curamus verba finalia: *Refert* (Clapperius ille) *cariam Provinc. semper distulisse quæstionem de sterilitate, usque ad finem locationis, suspensa interim, pro parte exactione pensionis.* Nisi Vir, alias venerabilis addidisset: *quod & iudicibus sequendum esse puto, durius scriberemus, quam: non ita putamus.* Quæ sequuntur, de computatione sterilitatis & ubertatis, quia tota nobis ruit machina, sunt de prætervidendis.

§. IIX.

Faciamus cumulum, rationum, illam philosophiam debellantium, modo præmiserimus, quod a) casus receptionis, casuum fortuitorum, etiam insolitissimorum, nihil huic tracta-




tioni relinqvat, *vid. MEV. Tr. de Pens. qv. 1. a §. 54. f. 75. f.* Et quod b) pacta desuper inita, quia & stulta valent, ferias scribenti faciant; modo autor sim svalorque, ut ineuntes contractum locati, sibi p. t. prospiciant, pacto adjecto, forte ita concipiendo: Und als nach Kayf. Rechten zc.

§. IX.

Dictus, obstantium cumulus esto sequens:

I. A *difficultate liquidationis* & scatentibus litibus, quæ sit sterilitas, quæ ubertas; quo loco consilia *Brunnemanni d. l.* nihil juvant; nec DD. aliorum philosophia, in tanto dissensu, arcet, ut vel cito extingvuntur dissidia, læsio ultra dimidium a a multis arripitur, sed audiamus aliosque aliaque & cui non nota diversa computatio, *vid. DD. ad tit. ff. de Resc. vend. cui non dicta diss. Thomasiانا, de æquitate cerebrina resciss. ob læs. ultra dimid. Legetur, cum fructu infra all. diss. Riedeseliانا, c. 2. §. 18.* ubi examinatur distinctio, inter *damnum tolerabile & intolerabile*, Vir Perill. Jctorum vocem: nach ehrlicher des Werts verständiger Leute Erkenntniß, non vult laudare. Allegavit DD. concernentes admodum multos.

II. Ab *inconvenienti*: daß man nemlich, auf solche Weise, nicht alljährlich liquidiren könne; und daß der Conductor (jerra hæc, salvis fatuis pactis, esse reciproca dissentientes a nobis neutiquam negabunt, utut videatur, ac si omnes velint esse Locatoris Advocati, præter Autorem legis 25. ff. h. qva §. 6. quæ non vult, ut ob ubertatem inconvetam pensio neqveat augeri) bey grossen Seegen sagen könnte, man müste erst abwarten, ob auch folgende Jahre würden mager seyn: Immassen, nach dem Brunnemannschen detail, der locator sagen könnte, es käme noch zuvor darauf an, ob auch, eines, oder anders, derer folgenden Jahre, möchte fett seyn. *Maxime hoc numero, bilem movet,*
lex



lex nostra 15. disponens, quod si ob sterilitatem jam facta remissio, remissum repetatur. Destruit interea illa lex (nisi in vanum negaveris, tempore sterili, liquidationis necessitatem) totam Brunnemanni & affeclarum philosophiam, quod nempe curiæ differre debeant quæstionem, de sterilitate, ad finem usque contractus; ubi novæ, de interusurio, liti, pateret accessus. Vielleicht haben wir noch nicht Proceffe gnung; sondern müssen, durch wunderliche Gesetze und Jurisprudenz, dieselben vermehren. In substratis palpatur inconstantia & analogiæ migratio, per ipsam dictam legem 25. §. 6. de ubertate pensionem haud augente.

§. X.

Terreat hoc & admoneat Legislatores, Curias & JCTos, Lectores Doctorum. E. gr. *Brunnemann.* de octo opinionibus: *Valascum*, partem operis emphytevtici, *Rulantini*, allegare lubet, qui, per insignem digressionem, tractat totam, de loc. cond. materiam. Audiatur n. 45. *Quando autem dicatur ubertas anni, ut fiat compensatio, cum anno sterili, variæ sunt opinioniones, sicuti & circa sterilitatem &c.* Quæ sequuntur, uberissima sunt litium nutrimenta, per odiosa contextuum verba: *opinantur: opinor: sunt qui dicunt &c.* Novem formati casus faciunt, ut quilibet suos pati queat manes. Absint talia! abessent autem, si ea disputatio non haberet affeclas.

§. XI.

Non possum reticere, novas semper, in quæstionibus, ubertatis & sterilitatis, excogitari vexas. Speciminis loco lubet libetque memorare eam, quam tradit BRUNNEM. *ad l. nostram*, adoratam ab aliis, e. gr. a SCHOEPPERO, n. 57. verbis: *Valor fructuum simul considerandus, qui solet, tempore*
ste-



sterilitatis, augeri. Eja! gerade als wenn das nicht andre influxus, in die Wirthschaften hätte; und als wenn keine retorsion, im umgekehrten casu, statt finden würde. Man möchte, auf solche Weise, lieber sagen, es wäre keine sterilitas und keine ubertas, in dem Ucker-Wesen. Consideretur etiam, nunqvam sterilitatem & ubertatem esse, per Europam, universalem. Ergo. Miramur, TITIUM, *obs. 610. ad Lauterb.* scripsisse: *Quelibet sterilitas damnum non infert, ut sæpe conductores fundorum magnorum, vel integrarum præfecturarum, malint sterilitatem, quam ubertatem, quum, hac eveniente, frumentum vili pretio vendendum.* Quid videtur B. L. de hac musica? Placet, ulteriora Titiana, qvo Autoris singularis philosophia, curiæ periculosa elucescat, addere: *Hinc, ita ille Jctus, Non-Oeconomus, etiam patet, ea quæ de remissione pensionis dici solent, fere ad homines egenos modicorumque prædiorum conductores pertinere. Quid hoc? implicat, non explicat.*

§. XII.

III. Sobria, *ex l. 25. §. 6. ff. loc. cond.* quæ vetat, ubertatem computari, in odium conductoris, elucet ratiocinatio, fundata in illo: *Spes alit agricolas.* In contractu locati conducti, prædiorum rusticorum, semper aliquid est alex atqve fortunæ dandum, absqve tamen adplicatione, omnium eorum, quæ in iure alias tenemus, circa conventiones, quæ continent aleam. Nec tacendum, distinctionem, inter ipsam emtionem spei & rei speratæ, illustrare casum; quandoquidem, in posteriori, via, utendi allegatione læsionis, manet aperta. *vid. l. 8. pr. ff. de contrab. emt. ibiqve DD. Datur Strykiana diff. de emt. spes, hab. Hal. 1714. rec. 1742.* quæ, utut erudita, tamen ad substratum nihil habet.

§. XIII.



§. XIII.


Magnus GROTIUS *Lib. II. de J. B. & P. C. 12. §. 18.* post *Molinam*, putat, omne damnum esse, secundum Jus naturæ, conductoris, nec ullam umquam, propter calamitates, pensionis remissionem esse indulgendam. Curiosum sane foret illud Jus naturæ latitudinarium. Refutatus est a nonnullis, qui eundem non præterviderunt. B. BOEHMERUS *in diff. f. r. selecta capita, de loc. cond. præd. rust. Hal. 1730.* idem agit, scribens, quod Grotius destituatur omni jure. Allegantur ab eo etiam dissentientes, *Pufend. Ziegler & Kulpis. Add. Perill. Dn. RIEDESEL Baro ab EISENBACH, de remiss. merced. ob calam. belli C. 2. §. 7.* promittens ulteriora. LEYSERI locus allegatus, *ex medit. spec. 217. n. 6.* suam meretur laudem. Boehmerianæ rationes (vid. tamen adnexa *diff. epistola*) merentur examen maxime sequens: *Accedit, quod locator de lucro de captando, conductor autem de damno vitando certat & sic, hanc quoque ob causam, hujus conditio favorabilior esse debet. Nam si locator ipse prædia habuisset, dubio procul etiam damnum sensisset.* Sunt verba obscura, §. 8. *Cap. III.* sed absit manus, ab aliorum favillis, quamvis *Henniges & Hahnus* sint pro Grotio. Legatur iterum, Boehmeriana epistola; unde fuit generalis observatio, quod multas quoad disputationes omnino legendæ sint Præsidum gratulationes.

§. XIV.

IV. Nisi obstiterimus principiis, quibus hæc dissertatio opposita, facile tentabitur translatio impertinens extensiva. V. gr. ex bello ad non bellum; a non bello ad bellum. Cogitetur de incendiis. Ne dicam, de computatione, in contractu

c

an-



antichretico, soepe scabioso. *vid. PRÆS. diff. de limitibus contractus antichretici, Cap. III. pos. 1. f. ibique all. STRYKII U. M. item PRAGEMANNI diff. de processu liquid. in antichresi.*

§. XV.

V. Ubertatem & sterilitatem, positis ponendis, distinguere debere, in *communem*, minimum pariter vicinam & specialem, concedetur nobis. Utraque suas specialiores potest habere causas. Verum, quanta emergerent litigia, si non singulis annis fieret, in casibus, damnorum & sterilitatis, liquidatio. Cogitetur e. g. de grandine, an die Hagel-Striche, und an die diversen Acker-Schläge und Korn-Arten, auch Begatungen, e. gr. durch 2/3, auch 4 Fahren. *Conf. KLEIN, ad Schæpf. tit. loc. cond. n. 12. 24.* Capiatur exemplum, a damno, ex limacibus, Schnecken-Fraß, de quo legenda deductio, ex casu Meckl. in *select. Jurid. Rost. spec. 45. qu. 3.* Putamus, nobis, hoc loco, contrarium esse inconueniens, quia semper dici posset, man könne nicht wissen &c. Tandem risum non tenebunt rerum intelligentes, quod, juxta principia quæ nos impugnamus, opus foret, etiam quotannis, inaudita ubertatis liquidatione, inter locatorem & conductorem, & quidem ex dicto illo: Man könnte nicht wissen.

§. XVI.

VI. Collectio Edictorum Meckl. de dirimendis litibus remissoriis, habet in eo, de 1713. §. 1. hæc illustrissima verba: Vor allen Dingen, sich, möglichsten Fleißes, angelegen seyn lassen • • Sorgfalt vorzukehren. Est quidem objectum primarium,

rium, de damnis ex bello; sed quis negaret argumentum? ad illustrandum verba inscriptionis: Nach Maßgebung, der Billigkeit *re.* *Conf. s. V.* Weil aber, die Landes-Berordnungen, in vielen passibus zimlich duncfel und unverständlich, auch in allen Punkten einander nicht zustimmig *re.* Nihil, utut eadem foret ratio. quia bellum & grando, pariter, ac æstus & insecta sunt de casibus fortuitis, de compensatione ubertatis & damni, nec in dicto remissivo, nec in relatis, *de 1660. binis*, nec in eo *de 1677.* In prioris ingressu extantissima sunt verba: Daß fast täglich viel Streitigkeiten und Prozesse *re.* Concinnunt reliqua & nostræ extensioni adsistunt verba: insonderheit der, in Kriegszeiten, sich eräugenden Streitigkeiten. Non possumus reticere verba, tunc ultima: §. 1. vom Gewinn = = & §. 2. daß er, der Pensf. von dem conducirten Guthe keinen Gewinn gehabt, noch während der Contribution haben werde. Auf welche Fälle, und da er, in Ansehung, solchen Gewinns, schon etwas abgetragen hätte, derselbe es nachmahls abzukürzen, oder dessen Erstattung wieder zu suchen, befugt ist. Oedipo opus est. Rationem habendam esse conductoris, ex contextu constat. Illustres lineæ contractus pensionarii, quæ emanarunt, sub Regimine DUCIS CAROLI LEOP. *gl. m.* nihil, huc faciens, continent, quia §. 18. casus fortuiti, in fructibus, non ex lege patria, sed ex pacto contractui in domanialibus adjiciendo, simpliciter sunt conductoris. Quia bellum, pestem, & incendia, placet excerpere, ad nostram analogiam, verba: in einem der im Anschlage benannten Stücke. In sapientissimis edictis, *de 13. Maji, 1750.* & *de 28. Maji 1759.* von denen zu formirenden Schadens = Rechnungen, nihil habetur ad præsens institutum.



§. XVII.

Contulimus, pro voluptate, B. MEVII entworfenes Mechl. Land-Recht, *Lib. III. Tit. 5.* Sed desideravimus specialia. Liceat, ad integrum opus, notare, quod prout jacet, non queat recipi, propter tot singularia, quorum unicum, ad hanc materiam, lubet rimari, *ex §. 7. calum:* Wann nach getroffenen Nieht-Contract dergleichen Zufälle zukommen, daß er seines Guths selbst bedürftig, ist er befugt, dem Conductori ein halb Jahr zuvor aufzukündigen, *rc. si de prædiis rusticis sermo, ut ex connexione videtur, arcenda foret ea philosophia, quia etiam in prædiis urbanis, est ex numero Tristium Ovidianorum. Textus l. 3. C. de locat. & cond. allegari solitus, incipit voce: Aede. Conf. Bodinus, Ittig & Stoer, ex professo de expellendo conductore scriptores.*

§. XVIII.

Jam cogitandum, de nobiscum, si dantur, consentientibus. Si non dantur, nobis est perinde, quia etiam unus potest (præfiscini scribo) videre, quod melius est. *per L. 1. §. 6. C. de V. J. E.* Aliud etiam est, jus constituendum, aliud constitutum. Incidit scribenti flosculus Ulpiani, *in l. 12. §. 1. ff. qui & a quibus manum.* Qua verba: *Quod quidem perquam durum est, sed lex ita scripta est.* Excusandus venit Ulpianus, *vid. nota Gothofr.* Ast compilatores adoptantes & Imperator nullam merentur veniam. Plures, qui hoc thema quasi ex officio tangunt, frustra evolveris. Argumentum, a silentio, quia DD. mihi non quidem videtur inservire, quia reformidanda retorsio,


sio, daß sie die Sache, nach denen Gesetzen, für klar gehalten.
Sed haberemus replicas.

B. GASSER, in *Prælect. ad C. plane omisit tit. 65. Lib. 4.*
BRUNNEM. uti jam dictum, pariter. B. MEVIUS in edecumato
Tr. von Pensionarien, ut vulgo allegatur, *qv. 1. p. 5. n. 13.* ita,
pro nobis: da doch die Rechte nie weiter die remissionem pensio-
nis, als auf das Jahr, worin der Schade erlitten, zulassen; aus
vorigen, oder auch folgenden darüber keine Ergögligkeit (feriat
& hoc locatorem) verstatfen. Alia, in eo opusculo, passim
fere inter leges relato, vid. rubrum, concernentia non in-
venio.

B. SCHOEPFERUS, cum multis aliis, tradit com-
munia.

B. KLEIN sollicitat, rejectam, a nobis, distinctionem,
inter annos *collective & distributive* sumtos, v. gr. das Guth ist
verpachtet auf 6. Jahre, für 3000. Rthlr. oder, auf 6. Jahre, ses-
des zu 500. Rthlr. Qua explicationem liquidationis, dat ver-
ba: *Et licet utroque casu remissio pensionis facienda, ob sterili-
tatem, nisi pensetur insolita ubertate præteritorum, vel subse-
quentium annorum ubertate.* Hoc est quod nolumus; unde
ulteriora verba nihil curamus. Soll denn der gute Hauswirth,
für seinen besondern Fleiß und Schweiß nichts haben? Forte di-
stingvendum, ceu jam tactum, qua Comica talia, inter uber-
tatem *generalem & specialem.* Sed procul sint plura Patrono-
rum alimenta.

B. DRESSELIUS *ad n. 59.* scribit, non distingvendo,
hinc aliis contradicendo, aliqvadantenus bona, verbis: *Remis-
sio tamen mercedis, ob sterilitatem, hujus anni, ob speratam
futuri anni ubertatem suspendi non potest, sed sequente ubertate*



te solum rescindenda, quia spes homines soepius fallit. Agimus, in tantum, gratias.

Allegatus, a Dresselio, CARPZOVIUS, P. 2. C. 37. d. 13. Inscriptio, ad fugitivum intuitum, movet salivam, ac si nostra doctrina tantum haberet promachum.

En! *si de facienda, in singulos annos remissione convenit, non potest unius anni sterilitas, cum ubertate sequentium annorum compensari.* Sed, attente legenti, chorda, qua plures oberrant, adparet, & factitia distinctio regnat, quasi collectivæ conventionis dentur exempla; & quasi, si forte daretur, aliquid, absque singulari, ne dicamus fatuo pacto, a parte conductoris, in ipsa ratione fundatum sit differentiæ. Locator vellet se reddere tutiorem, quia alias, ex ubertate, per clarum textum, l. 25. §. 6. ff. nullum ipsi emergeret commodum. Ergo de solius conductoris luderetur corio. CARPZOVIUS def. II. scribit: *Est enim unica & individua locatio, DISTINCTAS HABENS PRÆSTATIONES.* Subnotavit defin. dictæ & sequenti casus decisos; sed ipso jure rationabili contradicimus & ipsa illa verba: *distinctas habens præstationes*, feriunt. Leges, exscriptæ supra, vel aliter explicandæ, vel, ex rationibus solidis, sunt reformandæ & inapplicabiles.

§. XIX.

B. KOLSHORN *ad Schæpf.* reliquit cardinem intactum; utilis tamen fit, per notam ee) p. 599. ubi legitur: *lucris causa conducimus. Lex 25. in utilitatem conductoris inventa, in ejus odium non est detorquenda, L. 15. §. 6. de LL.* id quod tamen fit per distinctionem, sive sit textus, sive Doctorum.

B. BOEH-




B. BOEHMERUS, in *Fure ff.* nihil habet, pro nobis, præter verba, §. 14. cum allegatione l. 18. C. de loc. & cond. quod in prædiorum rusticorum locatione multa sint spei. Spes autem illa erit solius commodi conductoris, nec cogitandum, de spe locatoris, quæ steriles annos remittentis. Ita nos, salvis aliorum opinionibus, quibus contraire, est solius Legislatoris: *Ejusdem BOEHMERI diff. s. r. selecta capita, circa Loc. & Cond. Hal. 1730.* supra tantum adhibere licuit.

§. XX.

Plures systematicos evolvere non lubet, quia sentimus, quorundam compendiorum novos scriptores, præter methodos, cornua præcedentium inflare; Imo eorundem arva interdum expilare. Exempla forent odiosa.

B. Pater STRYKIUS, in insigni opere, de cautelis contractuum, Sect. II. Cap. 9. §. 24. sqq. nostram hæresin non juvat. Hæresin inquam, qualis, in cathedra juridica, nemini invidenda. Videantur superiora, de Grotio. Distingvit Strykius, ut alii, dissentiens tantum, rectissime, ab illis, qui quantitatem damni, ad effectum remissionis, in læsione ultra dimidium, ponunt. Excedit illud caput nostros circulos præsentis, modo repetamus, superiorem nostram opinionem, quod nempe computatio illa dimidii instituenda sit per species. E. gr. *Rothen und Weizen sind überaus wohl gerathen und unbeschädigt geblieben; aber, ein Hagel-Strich hat den Sommer-Schlag bis über die Hälfte ruiniret.* Nihil hic obmovendum, de uberitate inconveta siliginis, triciti, &c. daraus die Pension allein kan bestritten werden. Præscribit *Autor*, ad substratum, cautelas utiles. Bene! sed quæ omnes fere DD. in gratiam legum all. distin-



tingendo cantant ex regno, ubi chimæra nascuntur, prodiisse putamus; utut possibilitatem, quia & uti jam dictum, etiam fatuæ datur valetque conventiones, in exemplis rarioribus & fanaticis dari, haud negemus. Teneatur tamen, quod, etiamsi dixerit conductor, er wolle, für die 6. Jahre, 3000. Rthlr. geben, tamen supponi debeat status regulæ, daß nemlich dennoch, alljährlich, 500. Rthlr. zu bezahlen, und wegen derer Schäden, ohne an den Regress, aus der ubertate künftiger Jahre zu gedencken, realiter zu liquidiren. Addimus, in dubio pro conductore esse pronunciandum, quia locator clarius loqui debuisset. *vid. BOEHMERI diss. spec. add. LEYSERI concernens meditatio.* Sint exorabiles manes, superius allegati, qui locatorem de damno vitando, non de lucro captando certantem, pingere conabatur.

§. XXI.

Laudamus, quia, & inter jurisperitos, dantur Scioli, Solipsi & Fr. Stancari filii, §. 25. suppeditam Strykianam cautelam, quamvis, præter evitacionem processus, cum condemnatione in expensas, nisi obstaret Schlendrianus, finiendi, sit nobis abundans. Quæ, hoc loco, ex materia emphytevtica, inspergi, a quibusdam, solent, in regula, plane sunt allotria, quia, in illa regulariter canon, ob sterilitatem, non remittitur. *CARPZ. P. 2. C. 38. d. 19. GAIL. l. 2. obs. 23. n. 25. SCHOEPFER. Syn. ff. tit. si ager, n. 14. VALASCUS, a Strykio etiam allegatus, quest. 26. 27. Tr. absolutissimi, de Jure emphyt. qui primus stat, in celebri collectione Rulantina, omnem facit paginam. Placet exscribere & adoptare verba, n. 12. qv. 27. Ego semper sum opinatus, nullo casu, ob sterilitatem fructuum, faciendum esse remissionem emphytevtæ, explosis omnibus interpretum li-*
mi-

mitationibus. Aliquas tamen dabiles esse, concedere habemus.

§. XXII.


Prodeat adhuc LAUTERBACHIUS, cum suo *Compendio cumque Titio & Strykio ad illud commentantibus.* Is autem varios litium fomites adfert, distingvendo e. gr. qva sterilitatem, inter *consuetam & inconsuetam: prævidendam & inopinatam,* &c. distinctio, inter *damna, ex causis forinsecis & intrinsecis,* pondus habet, *vid. nobilis Tr. Dn. RIEDESFL ab EISENBACH, de remiss. merced. ob calam. bell. Goett. 1760. cap. 2. §. 2.* Autor ille §. 21. mihi plane non favet. *conf. §. 25.* Colonus enim sibi, excepto casu doli, causam præsertim contractui dantis imputet, quod talia conduxerit. Memoratur dissentiens *Pinellus. Conf. Mechl. Instruction, für die Wirthschafts- und Acker-verständige Achts-Leute, welche die adelichen Güther classificiren und taxiren sollen: Num. IV. hinter dem Landes-Grund-Gesegl. Erb-Vergleich, de 1755. §. 9.* ubi sex classes, sapienter prudenterque, cum additamento possibili classis septimæ.

§. XXIII.

Qvæ LAUTERB. de pluribus fundis, una mercede locatis tradit, ipsius, non vero nostræ sunt analogiæ. TITIUS *obs. 612.* æqvitatem naturalem juri civili opponit. *Obs. 613.* ventilatio est varia & verba unalia: *Si magna sterilitas fructum rei intercipiat, quum tum locator non præstat, quod promisit, ideo nec conductor ad exsolvendum integram mercedem est obligatur, merentur obelum, maxime si contuleris præcedentia, quæ inter*

d

ter



ter & hæc sunt: *Non facile accidit, ut ubertas lucrum condu-
ctori adferat, copia pretium minuente.* Sane tota hæc caussa
specimen est pomi Eridos hydræque Lernææ juridicæ. Stry-
kius Grotium, communem opinionem, commentum Juris ci-
vilis vocantem, taxat. Orthodoxe docet, contra doctrinam, de
læfione ultra dimidium reqvirenda, statuens, qvod si defectus
sit notabilis, in fructibus, pensio proportionabiliter sit remit-
tenda. Addit rationem solidam: *Promissa enim est pensio pro-
portionata fructibus, certo speratis (quid hoc?) hi ergo si defi-
ciant, non præsumitur ad solidam pensionem se obligasse.* Per-
git: *Valor tamen fructuum considerari debet, qui, si duplo au-
ctus, remissio facile impetrari non potest.* Veniamus, ad liqui-
dationem, in exemplo, qvo videamus, quis sit evasurus vi-
ctor. Ultima fere, ad verba *Lauterb. non suspenditur*, no-
stram opinionem juvarent, dum legitur: *Pensio in præfenti est
remittenda, utut locator dicat futurum annum forte posse fer-
tiliorem esse; nisi obstaret, Strykium fuisse Papinianistam.*

§. XXIV.

Tædet Coll. Lauterb. & alios plures allegare. B. LUDO-
VICI *Doctrina Pand. §. 14.* refutationi est obnoxia. Qvod liqui-
datio & remissio non sit proroganda, nos non placat. Ha-
bentur verba: *Qvod si omnes anni sunt uberes, merces non au-
getur, & inmodicum quoque lucrum, colono relinqvitur, l. 25. h.*
Be-


Bene! sed curamus analogiam, quam quilibet suæ, etiam erroneæ debet opinioni. Specialiores, de locatione & conductione scriptores, item specialissimi, de sterilitate, quotquot evolvere permisit nausea, v. gr. *Falcknerus, Frieße, Mylius & Rysfel* nostri, his locis, non sunt amici. GROENWEGEN de *LL. abrogatis & inusitatis*, neque ad ff. nec ad C. hoc tetigit thema. Sed etiamsi consentiret nobiscum, in promptu foret rubrum: *in Hollandia, vicinisque Regionibus*. Sobria sunt ut plurimum, quæ præbet elegans ille labor. Exemplum ad nostrum de loc. cond. materiam, habetur, quæ dicitur: *Kauf bricht Niehte*, ad l. 25. ff. b. verbis: *Hodie emptor tenetur stare colono, etiamsi hoc, inter emptorem & venditorem, nominatim actum non sit*. Recte! venditor enim plus juris transferre & emptor accipere non poterat, quam quod habebat prior. Sed hoc obiter, vid. *eristica Zollio-Zaunschlifferiana*. De *Heiseliiano* consilio inapplicabili, quæ novum excogitatum contractum, vid. *scriptum Hale rec. 1735*. GUIDELINUS de *Jure noviss. cap. 7. p. 115. b.* mixta habet cogitata. Pro rata damni mercedem esse remittendam docet, terret tamen verbis: *Quantum debeat esse damnum, magna est admodum Interpretum concertatio, & multiplex judicium; de quo videre licet, quæ congesti sit Didacus Covarruvias, in pract. quæst. c. 29*. Misereatur Dominus jurisprudentiæ polemicæ, per leges speciales & libros quasi symbolicos, facile minuendæ. Facilius tales exstituros credo, quam in mere philosophicis & medicis. vid. tamen HOLLMANNUS, de *libris symb. philos.*

§. XXV.

Quid autem, si exsurrexerit Lector, dicturus, nos, si distinctionem, inter annos, *distributive* & *collective* sumtos, agnoverimus, cum ficto dimicare adversario. Responsio est in promptu, ex superioribus, quæ sane multa habent, omnem materiam liquidationis, inter locatorem & conductorem illustrantia, nos non agnoscere eam distinctionem, & quamvis possibiliter dari queant contrahentes, annos *collective* sumentes, fatuitati tamen accederent, nisi quantitatem mercedis, v. gr. trium, vel sex annorum, *collective* sumtam, divideremus, ad singulos annos, quæ effectum præstandæ solutionis. Quo inevitabili supposito stante, & salva, haud migranda prudentia, omnia redeunt ad idem, tota distinctio in vanum resolvitur. Stat igitur sententia: *Ubertatis & sterilitatis in locatione-conductione nulla datur compensatio & omnis DD. facta distinctio, inter annos distributive & collective sumtos, est commentum.* Nec valet discursus: Die Sommer-Saat ist zwar nicht gut gerathen; aber, die Winter-Saat desto besser: id quod applicandum, ad grandinis injuriam, nach gewissen Strichen.

HOC ERAT IN THEMATE.

CO-



COROLLARIA.

1. **A**nnus, ein grosser Ring, est in metaphora anni, eines Jahrs. In nullo contractu magis palpatur integer circulus, quam in locatione - conductione prædii frugiferi. Quilibet talis circulus ita veniat concipiendus, ac si foret solus. Ergo.
2. Annus sive circulus triennalis habet, in oeconomia rurali, suos usus multos, etiam in relocatione tacita.
3. Quando der Scheffel Kocken gilt einen Reichs-Thaler, nondum datur annonæ caritas. Habet hæc assertio multas arduas conclusiones, etiam quæ edicta publica. Nihil obstat eidem Taxa provincialis. *vid. Tornov. Schweder, de Balthasar, alii.*
4. Erstne fabula, quod fertur, in Historia Hispanica, von der 26jährigen Dürre? *vid. periodi Huebnerianæ.*
5. Variant, & provincialiter, ad effectum distinctionis, casuum insolitorum & insolitissimorum, damnorum exempla. *vid. HOPPIUS, de edaci locustarum pernicie: Superius all. Resp. vom Meckl. Schnecken-Fraß. GOETZ de cataclysmo Thuringico. In Luneb. Ordin. occurrunt Mäuse-Jahre, Hamster-Fraß, &c.*
6. Krieg und Brand segnet Gott mit milder Hand. Faxit Jehova, cui, quia fecit, sit Laus, Honor & Gloria!


d 3

7. Da



7. Dn. v. HAMM *diss. de remissione mercedis*, ob sterilitatem impetrare haud potuimus. Possidemus autem D. HANACCII *diss. de favore erga debitores, calamitate belli debilitatos*, Viteb. 1762.
8. *Sterilitas cum fertilitate compensari debet.* Ita legitur, in magno Mölleriano Repertorio Carpozoviano, sub. v. *Sterilitas*. Ad primum intuitum cogitaret Lector, de possibili casu, sed frustra. Evolvat igitur locum relatum, in *opere Jurisprud. Forensis. P. 2. C. 37. d. II.* & habebit doctrinam vulgarem a nobis refutatam, de sterilitate, cum ubertate compensanda, unde apparet sphalma typographicum.
9. Qua liquidationem antichreticam, multum refert, qua hyperocham, de qua *vid. spec. diss. RICHTERI, Jen. 1668.* respicere annorum diversitates, qua ubertatem & sterilitatem. In genere ridiculi fiunt soepe calculi, cujus exemplum jacet in B. STRYKII *U. M. tit. ff. de pignor. act. Leg. B. PRAGEMANNI diss. de difficili liquid. in contr. antichret. item Dn. PRÆSIDIS, de limitibus contractus antichretici, Cap. III.*
10. Vera est inscriptio, nummi Gallicani, parvi in ære momenti: *Ex pace ubertas.* Lemma est cornucopia.

FAXIT DEUS!





PRÆNOBILISSIMO DOMINO
C A N D I D A T O,
FAUTORI, COGNATO ATQVE DOMESTICO SUO
DILECTISSIMO,
GRATULATUR
P R A E S E S.

Laudabilem iniisti viam, ad cathedram inauguralem, posteaquam ita successively rem tuam egisti, ut nihil in te desiderari patereris. Ultra quinquennium, in studio academico es versatus. Eras, inter primos, hujus novæ Friedericianæ Juris Studiosos: Primus eras, qui cathedram conscendebat, mecum defendens disputationem juridicam, heic, ejus ordinis, primam, *de interstitiis domuum, in civitatibus, speciatim Buezoviensia*. Tunc tuum J. V. C. legebatur: *Juris Viriusque Cultor*, quem characterem sibi quilibet ipse sumere potest, in matriculam relatus. Promittebam tibi, publice, mutationem lectionis & post breve intervallum, legendum erat J. V. C. *Juris Viriusque Candidatus*. Tentabas vires, post novum interstitium, in praxi & res feliciter, Deo annuente, tibi cedit. Jam progrediendum erat, ex litera C. ad literam D. Noluisti autem, hac vice, ut D. legeretur per nomen *Doctoris*, sed sola tibi sufficiebat dissertatio inauguralis, quæ facit *Doctorandum*; quam denominationem scribendam habebis per siglum *Dd.* Fac idem, uti facies, quia mecum es inimicus, omnis Machiavellismi, hinc & litterarii, de quo, ex professo scripsere, pariter ac de charletaneria & harlequinizatione, item Titulomania, Viri nonnulli eruditi, e. gr. *Lilienthal, Mencken, Froereisen*, alii; quorum unus refert, quemdam *Diaconum*, natum *Salfeldiæ*, inter *Tharingos*, solitum fuisse scribere, in philothecis & alibi: S. Th. D. quo legeretur: *Sacræ Theologiæ Doctor*. Erit tuæ voluntatis, quando vis legi: J. V. D. *Juris Viriusque Doctor*. Sed venio ad Tuam disputationem. Perlegi eandem & deprehendi, te habere

bere ingenium reformatorium. Nolui tamen dissentire, quia ut plurimum modeste scripsisti & jus constituendum a constituto distinxisti. In praxi hactenus non eris ubique victor; ergo. In speciminibus juridicis academicis datur libera sentiendi facultas. Gratulor igitur Tibi, de theoretica tua dissertatione, & addo, quod, datis casibus nonnullis, etiam appellari queat practica. Coeteroquin soepe aliter cogitamus, aliter, ne erubescamus, vel de lege judicemus, pronunciamus. Significantissimus est locus in *Carrachiana diss. de Conflictu Theoriae & Praxeos*, hab. Hal. 1736. §. 2. v. Das liesse sich wol auf der Catheder disputiren; aber, in praxi habe es keinen Nutzen. Addatur *Brucknerianum progr. de qu. Num quis esse queat celebris Jctus simul, in theoria & praxi Juris*, Jen. 1732. Sed nolo pertractare, hac in epistola, illud arduum thema. Memento mei discursus, in Collegiis Practicis, de *connubio theoriae & praxeos*. Memento passus *Kleiniani DD. novi* - - - Lege item *praefationem mei Juris Meckl. illustrati* & rem Tuam age semper in honorem Dei, utilitatem Reip. gaudium familiae & proprium commodum. Compone lites, mache Bund, h. e. ama transactiones & fac firmas conventiones atque partium amicitiam primus pacem quaere. Bund est vox pacifica: Jctis tribuit honorificum nomen *derer Bundmacher*, quod nequam corrumpit, mutata lit. d in t, volens legi *Buntmacher*. Dignosce & fuge vyperas. Satis, a Tui deditissimo & perpetuam amicitiam promittente atque sperante. Gratulor tandem Ven. Tuo Domino Parenti totique Familiae honoratissimae repetoque quae in epistola, post Tuam diss. supra allegatam, scripsi. Vale! Dab. Buetzovii, M. Sept. 1763.







the scale towards document

NOBILISSIMO DOMINO
N D I D A T O,
COGNATO ATQVE DOMESTICO SUO
DILECTISSIMO,

GRATULATUR
R A E S E S.

ti viam, ad cathedram inauguralem, postea
resive rem tuam egisti, ut nihil in te deside-
a quinquennium, in studio academico es ver-
primos, hujus novæ Friedericianæ Juris Stu-
as, qui cathedram conscendebat, mecum de-
nem juridicam, heic, ejus ordinis, primam,
um, in civitatibus, speciatim Buezorviensia.
tegebatur: *Juris Viriusque Cultor*, quem
libet ipse sumere potest, in matriculam rela-
tibi, publice, mutationem lectionis & post
legendum erat J. V. C. *Juris Viriusque Can-*
vires, post novum interstitium, in praxi &
annuente, tibi cedit. Jam progrediendum
d literam D. Noluisti autem, hac vice, ut D.
en *Doctoris*, sed sola tibi sufficiebat disserta-
ræ facit *Doctorandum*; quam denominatio-
abebis per siglum *Dd.* Fac idem, uti facies,
micus, omnis Machiavellismi, hinc & littera-
professo scripsere, pariter ac de charletaneria
e, item Titulomania, Viri nonnulli eruditi,
Mencken, Froereisen, alii; quorum unus re-
iaconum, natum *Salfeldie*, inter *Thuringos*,
re, in philothecis & alibi: S. Th. D. quo le-
teologie Doctor. Erit tuæ voluntatis, quan-
D. *Juris Viriusque Doctor.* Sed venio ad
m. Perlegi eandem & deprehendi, te ha-
bere